



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

LVIII. Poenitentia quarti, quinti, sexti & septimi anni.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

ANNO
 CHRISTI
 895.

commemorat libro: Occultiora sunt vulnera mentium quam corporum, & ars est artium regimen animarum.

LVI.

Post illos quadraginta dies, vnum annum integrum ab introitu ecclesiæ suspendatur, & abstineat se a carne & caseo, a vino & medone ac mellita ceruisia, nisi dominicis diebus & festis, qui per illum episcopatum publice celebrantur apud cunctum populum: & nisi vel in oste, aut in aliquo magno sit itinere, vel longe aut diu ad dominicam curtem, vel si infirmitate detentus sit, tunc licitum sit ei tertiam feriam & quintam atque sabbatum redimere vno denario, vel precio denarii, siue tres pauperes pro nomine Domini pascendo: ita dumtaxat, vt vel carne, vel vino, vel medone, id est, de tribus vna re vtatur, non omnibus vescatur. Postquam autem de itinere domum reuertatur, aut de infirmitate liberetur, prædictas ferias non redimat, sed statuto modo pœniteat. Completo vero vnus eiusdemque anni curriculo, ita castigatus rite & ordinabiliter more pœnitentium introducatur in ecclesiam.

LVII.

Secundum vero & tertium annum simili modo pœniteat, excepto quod prædictas tres ferias redimere ius habeat, vbicumque est, siue in domo, siue in itinere. Cetera per omnia obseruet vt in primo anno faciebat.

LVIII.

Quartum enim annum & quintum, sextum &

Concil. Tom. 24.

Q999

septimum isto modo obseruet. Ieiunet autem his ANNO
CHRISTI
897. singulis tres quadragesimas : Vnam ante pascha Domini a caseo & pinguibus piscibus, a vino & medone & mellita ceruisia. Alteram ante natiuitatem sancti Ioannis Baptistæ. Si vero desunt quadraginta dies ante natiuitatem, impleantur post natiuitatem. Tertiam quadragesimam ante natiuitatem Domini Saluatoris ieiunet, & abstineat se a carne & ceteris rebus prædictis. Et in his quatuor annis, tertia feria & quinta ac sabbato manducet & bibat quodcumque libeat; & secundam atque quartam feriam denario, aut prædicto denarii precio redimere ius habeat. Sextam vero feriam caute obseruet. His septem annis rite expletis, reconcilietur, & more pœnitentium sacris altaribus & sanctæ communioni restituatur, atque perfectionem consequatur.

In hoc sancto Concilio præsidente & adiuuante pio principe Arnulpho gloriosissimo rege, confederunt qui conuenerant sancti patres & venerabiles ecclesiarum pastores. Et quæ catholica fide promulgauerunt, pari professione confirmauerunt, & vnanimis subscripserunt.

S V B S C R I P T I O N E S.

- Hattho sanctæ Moguntiacensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.
- Hermannus sanctæ Agrippinensis, quæ & Coloniensis, ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.
- Rathotus Treuirensis ecclesiæ archiepiscopus subscripsi.
- VValdo Frisingensis ecclesiæ episcopus subscripsi.
- Erchanbaldus Eistatensis ecclesiæ episcopus subscripsi.
- Tuto Radaſbonensis episcopus.
- Adalpero Augustensis episcopus.
- Salomon Constantiensis episcopus.
- Theodolfus Curienſis episcopus.
- Fringus Basileensis episcopus.
- Baldrammus Stratzburgensis episcopus.
- Lotechaneus Spirensis episcopus.
- Theotclaus VVormatiensis episcopus.